

stum propiciatorem. Ita aduersarij excludunt Christum a iustificatione, & tantum docent iusticiam legis. Sed redeamus ad Paulum. Nihil quisque ex hoc textu amplius ratiocinari potest, quam quod dilectio sit necessaria. Id fatemur. Sicut necessarium est, non furari. Neque vero recte ratiocinabitur, si quis inde velit hoc efficere. Non furari necessarium est, igitur non furari iustificat, quia iustificatio non est certi operis approbatio, sed totius personae. Nihil igitur ledit nos hic Pauli locus. Tantum ne affingant aduersarij, quidquid ipsis libet, Non enim dicit, quod iustificet dilectio, sed quod nihil sim, id est, quod fides extingua, quamlibet magna contigerit. Non dicit, quod dilectio vincat terrores peccati & mortis, quod dilectionem nostram opponere possimus irae ac iudicio Dei, quod dilectio nostra satisfaciat legi Dei, quod sine propiciatore Christo habeamus accessum ad Deum nostra dilectione, quod dilectione nostra accipiamus promissam remissionem peccatorum. Nihil horum dicit Paulus. Non igitur sentit quod dilectio iustificet, quia tantum ita iustificamur, cum apprehendimus propiciatorem Christum, & credimus nobis Deum propter Christum, placatum esse. Nec est iustificatio somnianda, omisso propiciatore Christo. Tollant aduersarij promissionem de Christo, aboleant Euangelium, si nihil opus est Christo, si nostra dilectione possimus vincere mortem, si nostra dilectione, sine propiciatore Christo accessum habemus ad Deum. Aduersarij corrumpunt pleraque loca, quia suas opiniones ad ea afferunt, non sumunt ex ipsis locis sententiam. Quid enim habet hic locus incommodi, si detraxerimus interpretationem, quam aduersarij de suo assunt, non intelligentes